



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitæte, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

De furto filiorum, remissivè, n. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

& dictum minorem, ex sententia probabili, obligari naturaliter, ad standum iustis legibus ipsius ludi, pater ex dictis.

Nota ergo primò, si pupillus & minor creditori vel collusori aliquid solvant, posse hos illud, donec per Iudicem repetatur, retinere, utpotè habitum ab ijs, qui in conscientia probabiliter obligati erant. Nota secundò, eosdem pupillum & minorem posse non solvere, quod promiserunt, dummodo non iuraverint: cum enim exceptione legis valeant se defendere, possunt non solvere, vitando circum, quo solvant, & deinde repetant. Nota tertio, cum iidem, si quod propter illos contractus solverunt, valeant per Iudicem, ut dictum est, repetere, posse eosdem sibi per legem iustæ compensationis reassumere, quando Iudex contra ipsos negligenter se gerit: quæ omnia ex hic & alibi dictis constant, ostenduntque, minorem, atque pupillum, si nolit solvere, posse non solvere, & creditorem, si nolit restituere, quod illi solutum est, posse non restituere, donec per Iudicem cogatur.

*Filij professio religiosa nil nocet
iuri paterno.*

12. Quares tertio, an per professionem religiosam amittatur à patre usufructus, qui ipsi competebat ex filij bonis adventitijs? Respondeo, si pater profiteatur, siue filius, nunquam pater & suum usufructum amittit, quia professio nullum patris ius præiudicare debet. Solum est ad-

vertendum, si pater fiat professus, usufructum prædictum competere Religioni, si hæc est succedendi capax, donec pater vivit in religione; nam eo mortuo cedit ei, qui de jure patris hæres erit: quod si religio sit incapax, (quales sunt d. solum tres, Minores de observantia, Capucini, Societas Iesu) usufructus dictus competet ipsi filio in seculo remanenti, qui jam erat bonorum adventitiorum propriarius.

c. *Axor multa jura cit. p. 2. l. 2. c. 22. q. 4. & 5. d. L. Sanc. in dec. l. 7. & c. 27. Suar. t. 4. de rel. l. 4. c. 5. Casp. t. 3. fr. 16. d. 3. à p. 9.*

De furto filiorum.

13. Agetur de hoc infra, libro octavo tract. 2. cap. 3.

§. II.

De donationibus inter patrem, & filium.

Patrem filio filizve familias nihil donare posse, certum est in jure; a quod si rem donatam pater filio tradiderit, adhuc jus est patri, eam sibi revocare; si tamen non revocat, confirmatur patris morte donatio, ita ut filio res tradita absolute cedat. In aliquibus tamen casibus potest pater valide donare, hoc est, ob dotem, ob alimenta, ob nuptias, ob militiam, & ob hanc quidem, hoc est, ut filius ad militiam commode instruetur eas, potest dare res mobiles

non